

gravis est intensa, nec potest repelli nisi alio intenso, et fortiori motu, cum non possit moveri subjectum duobus motibus intensis, sed potius respectu gravis tentationis sit impedita consideratio boni oppositi, unde indiget auxilio speciali, ut consideretur.

VIII. Instabis ex D. Thoma III part. quæst. LXX, articulo III dicente, quod minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ, et vitare omne peccatum mortale, et retractat quod aliquando senserat, scilicet quod gratia data per circumcisionem non sufficiebat resistere concupiscentiæ; ergo non requiritur specialis gratia ad resistendum cuicumque tentationi, si quidem minima gratia ad id sufficit. Respondetur D. Thomam loqui de gratia habituali minima, supponendo tamen, vel non excludendo auxilium actuale speciale, sine quo nec minima, nec maxima gratia habitualis posset resistere omni tentationi. Et hoc patet ex ratione subijuncta a D. Thoma, quia minima charitas diligit Deum plusquam cupiditas auri et argenti: ergo loquitur de charitate actu diligente, quæ supponit auxilium actuale.

IX. Circa secundum punctum ratio dubitandi est, quia sicut habenti formam naturalem debetur auxilium ordinarium, et generale illi proportionatum, si quidem omni formæ debetur aliquis concursus; ita habenti formam supernaturalem debetur aliquis concursus supernaturalis; ergo saltem ad aliquem actum supernaturalem, et meritorium non indigebit homo speciali auxilio, sed debito et generali. Propter hoc fundamentum aliqui etiam ex modernis sentiunt non indigere hominem justum speciali auxilio supernaturali ad omnia opera supernaturalia, et meritoria, sed dari aliquem concursum, qui sit generalis

in illo. Et hæc sententia non est improbabilis.

X. Nihilominus oppositum est communius, et certius propter Conciliorum auctoritatem, quæ in hanc partem videntur ponderare, ut Arausicanum II, capite ultimo: « Confitemur, inquit, baptizatos quæ ad salutem pertinent posse, et debere implere, Christo tamen auxiliante, et cooperante: » et uberius Tridentinum sessione VI, cap. XVI: « Cum ipse Christus Jesus tamquam caput in membra in ipsos justificatos virtutem jugiter influat, quæ omnia bona eorum opera antecedit, comitatur, et subsequitur, et sine qua nullo modo illi grata, et meritoria esse possunt, etc. » Ex quo fit argumentum: Quodecumque opus meritorium, et supernaturale indiget gratia per Christum; ergo gratia speciali. Antecedens est de fide. Consequentia probatur. Omnis gratia per Christum oritur ex meritis Christi, et ex beneficio incarnationis; ergo est dependens a tali speciali beneficio; ergo est gratia specialis. Cum igitur homo justificatus ad operandum supernaturaliter post justificationem indigeat beneficio incarnationis, et meritis Christi sibi applicatis ad obtinendum illud auxilium, consequenter illud auxilium est gratia specialis, cum detur mediante beneficio speciali.

XI. Secundo, etiam si gratia non daretur beneficio redemptionis, sed a Deo creatore sicut in statu innocentiae, adhuc auxilium supernaturale in homine justificato est indebitum ipsi homini, et consequenter speciale respectu illius, auxilium enim non datur habitui, sed habenti, id est, personæ, ut excitetur per illud ad operandum tamquam per formam supernaturalem, quod totaliter ipsi personæ est indebitum; et consequenter illud donum supernaturale simpliciter est gratuitum,

ARTICULUS II.

Utrum ad perseverandum usque in finem sit necessaria gratia specialis?

I. Non agimus hic de perseverantia pro habitu sive inclinatione, vel etiam proposito perseverandi, sed de ipsa actuali executione perseverantiæ. Et potest ita actualis de perseverantia sumi dupliciter: uno modo pro continuatione longi temporis usque in finem; alio modo pro ipsa sola assecutione finis, etiam si brevissimo tempore aliquis duret in gratia. Et relinquimus tamquam certum, et extra controversiam, quod ad perseverandum longo tempore etiam ipsis justificatis necessarium est speciale auxilium, ut ex Concilio Arausicano, canone XI, retulimus, et clarius reperitur in Concilio Tridentino, sessione VI, canone XXII, dicente: « Si quis dixerit justificationem sine speciali auxilio in accepta justitia perseverare posse, anathema sit; » quod ad minus de hoc genere perseverandi per longum tempus intelligi debet. Difficultas ergo est in duobus. Primum, utrum ad perseverandum brevissimo tempore ad assequendam gloriam sit necessaria specialis gratia propter illam assecutionem; secundum, quodnam auxilium sit illud donum perseverantiæ, sive longo, sive brevi tempore perseveret.

II. Circa primum tota ratio dubitandi devolvitur ad hoc punctum, quia ille qui brevissimo tempore post acceptam gratiam moritur, solum habet duo. Primum est, acceleratio mortis, et hoc non est auxilium, quia non est concursus ad agendum, neque aliquid supernaturale, sed naturalis quædam generatio, et corruptio, unde non pertinet

et indebitum, licet secundum quid debitum sit, et ordinarium, quia respectu principii quod, est indebitum, licet respectu formæ, seu habitus, qui est principium quo, videatur debitum, et ordinarium. Esse autem debitum, vel indebitum magis judicandum est ex parte principii quod, seu personæ, quia illi donatur, habitus vero solum est id ratione cujus donatur: sicut e converso quando persona est divina ut in Christo, licet fiat gratia humanitati, non tamen dicitur fieri personæ, unde solum respectu ipsius habitus distinguitur auxilium supernaturale in ordinarium et extraordinarium, generale et speciale; respectu tamen personæ omne auxilium supernaturale speciale est.

XII. Unde patet ad rationem dubitandi. Convincit enim argumentum quod aliquod auxilium supernaturale est debitum secundum quid, et præcise, attendendo ad formam ratione cujus datur, simpliciter tamen indebitum, et speciale respectu ipsius personæ, cui principaliter donatur, et posset etiam negari postquam habet habitum gratiæ operando per alias formas naturales, et ulterius in quantum datur ex meritis Christi, et titulo redemptionis redditur specialis gratia, quia est dependens ab speciali beneficio incarnationis. Est autem diversa ratio in formis naturalibus, quia concursus connaturalis formæ etiam est debitum, et connaturalis agenti, quia forma est propria illius, et in quantum naturalis non datur titulo redemptionis, sed generali concursu Dei creatoris donatur.

ad donum supernaturale, vel speciale auxilium : secundum est, auxilium pro illo brevi tempore ad conservandum se in gratia, et evitandum peccata, istud autem auxilium non semper requiritur quod sit speciale, quia non semper occurrunt illo brevi tempore graves tentationes vincendæ, vel opera difficilia exequenda, ad quæ solum requiritur speciale auxilium. Ad opera autem ordinaria, vel tentationes leves non requiritur specialis gratia, nec in homine justo, nec in peccatore (ut supra dictum est) ergo potest dari casus in quo sine auxilio speciali post justificationem moriatur homo, et sic perseveret. Nec dici potest, quod sola conjunctio gratiæ cum assecutione finis est specialissimum donum Dei, quia hoc non convincit esse speciale auxilium, quia non omne donum Dei est auxilium ; tum etiam, quia homo per gratiam habet jus ad gloriam : ergo gloria est sibi debita ; ergo exhibitio ipsius per mortem non est specialis gratia, sed jure debita.

III. Nihilominus oppositum omnino tenendum est, et videtur satis periculosum, et parum tutum asserere, quod non sit specialis gratia perseverantia illa pro brevissimo tempore, sed omnis conjunctio gratiæ cum assecutione finis est donum specialis providentiæ, et præcipuus effectus prædestinationis, atque adeo postulat speciale auxilium, saltem extrinsecæ protectionis. Videatur pro hac sententia Curiel super hunc articulum ; Montesinos ibidem, quæst. III ; Lorca disput. XIII, membr. II, et alii. Et multis omis- sis, duplici ratione probo hanc sententiam. Prima est theologica, deducta ex auctoritatibus ; secunda ex propria ratione prædestinationis. Primam sic formo : Ille qui brevissimo tempore perseverat usque ad mortem vere, et proprie habet do-

num perseverantiæ ; sed secundum fidem qui habet hoc donum perseverantiæ haberet ex speciali gratia, et providentia Dei ; ergo ista perseverantia etiam brevissimi temporis est specialis gratia. Major expresse habetur in D. Augustino libro de dono perseverantiæ, cap. I, sic dicente : « Sed ne quisquam reluctetur, et dicat si ex quo fidelis quisquam factus est, vixit, verbi gratia decem annos, et eorum medio tempore a fide lapsus est, nonne quinque annos perseveravit ? Non contendo de verbis, si et illa perseverantia putatur esse dicenda, tamquam temporis sui. Hanc certe de qua nunc agimus perseverantiam, qua in Christo perseveratur usque in finem, nullo modo habuisse dicendus est qui non perseveraverit usque in finem, potiusque hanc habuit unius anni fidelis, et quantum infra cogitari potest, si donec moriatur fideliter vixit, quam multorum annorum, si exiguum temporis ante mortem a fidei stabilitate defecit. » Ecce quomodo D. Augustinus perseverantiam illam de qua illic agit contra Semipelagianos, qui eam negabant, dicit consistere in hoc, quod fideliter aliquis moriatur, etiamsi sit unius anni fidelis, vel quantum infra cogitari potest. Ergo etiam si sit unius diei, vel horæ, quia totum hoc infra annum cogitari potest, si tamen in gratia moriatur, dicendus est habuisse perseverantiam ; imo hæc sola est perseverantia usque in finem, et est illa de qua agit Augustinus in loco isto contendens contra Semipelagianos esse donum Dei, ut patet ex verbis allatis initio capitis secundi.

IV. Minor vero probatur ex distinctione Concilii Arausicani, capite X, ubi dicit adjutorium Dei etiam renatis, et sanctis semper esse implorandum, ut ad beneficium possint pervenire, vel in bono opere perdurare.

Ubi requiritur auxilium speciale non solum ad vivendum longo tempore in gratia, sed etiam ad assecutionem finis, quod est pervenire ad beneficium. Et Tridentinum sessione VI, capite XXII definit, quod sine speciali auxilio in accepta justitia nullus perseverare potest. Et capite XVI dicitur de perseverantiæ munere, quod alicui adhiberi non potest : « Nisi a Deo qui potens est eum qui stat statueret ne cadat, ut perseveranter stet, et eum qui cadit restituere. » Sed restituere eum qui cadit pertinet ad speciale auxilium ; ergo et donum perseverantiæ quod sine dubio invenitur in eo, qui in gratia moritur, etsi brevissimo tempore duret.

V. Denique D. Augustinus dicit libro de dono perseverantiæ, capite XVII : « Videte, inquit, quantum sit a veritate alienum negare donum Dei esse perseverantiam usque in finem hujus vitæ, cum vitæ huic quando voluerit ipse det finem, quem si dat ante imminentem lapsum, faciet hominem perseverare usque in finem. Sed mirabilior, et fidelibus evidentior largitas bonitatis Dei est, quod etiam parvulis, quibus obedientia non est, illius ætatis ut detur, datur hæc gratia. » Ita Augustinus. Sentit ergo quod mors data existenti in gratia, sive parvulo, sive adulto, est gratia specialis, imo nihil hominibus fidelibus constantius est quam esse speciale donum Dei bonam mortem : illa autem est bona mors, quæ est in gratia Dei, juxta illud Apocalyp. XIV : *Beati mortui qui in Domino moriuntur* : ergo mori in gratia Dei est speciale donum. Patet hæc ultima consequentia, quia specialiter petitur ab Ecclesia, ergo est speciale beneficium.

VI. Secunda ratio est, quia illa perseverantia usque in finem, quæ consistit in sola assecutione finis est specialissimus, et propriissimus

effectus Dei ; ergo est specialis gratia. Consequentia patet, quia effectus specialis providentiæ necessario est speciale beneficium suæ prædestinationis ; prædestinatio autem specialissima providentia est, ut constat ex theologia communi prima parte, quæstione XXIII. Antecedens probatur, quia assecutio gloriæ est ultimus effectus prædestinationis, et ita proprius ejus quod a nulla alia providentia provenire potest : nam ex communi providentia nullus assequitur gloriam, neque effectus iste inveniri in aliis potest quam in prædestinatis. Si autem assecutio gloriæ est proprius effectus prædestinationis, consequenter speciale beneficium Dei erit perseverantia usque in finem, quæ habet infalibiliter connexam assecutionem gloriæ, et conjunctionem gratiæ cum ea. Et hæc ratio habet locum tam in adultis, quam in parvulis, quia quicumque istorum assequitur gloriam ex prædestinatione Dei accipit. Et in omnibus qui in gratia moriuntur habet locum illud Sapientiæ IV : *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus*, quod ut inquit Augustinus de prædestinatione sanctorum, cap. XIV : « Ad largitatem Dei pertinet ut tentationum subtrahatur incerto. » Quæcumque ergo subtractio ab incerto tentationum specialis gratia Dei est. Videatur D. Thomas 2-2, quæstione CXXXVII, articulo IV, ubi ostendit quod si electio perseverandi sit in nostra potestate, tamen ejus executio pendet ex speciali auxilio ; solvitque ibi fere omnia argumenta in contrarium : et quæstione CXXXIX, articulo primo, inquit, quod movetur a Spiritu sancto animus hominis ad hoc ut perveniat ad finem cujuslibet operis, et evadat quæcumque pericula imminencia, quod quidem excedit naturam humanam, et ideo est actus doni fortitudinis.

VII. Ad rationem dubitandi respondetur, quod mors data justo potest dupliciter considerari: uno modo secundum communem rationem mortis, quæ omnibus hominibus, imo et brutis communis est, et sic non est donum Dei, sed potius pœna primi peccati, per quod intravit mors: alio modo consideratur ut est conditio requisita ad habendum statum immobilem in gratia, et consequendam gloriam; et sic ipsa mors datur ex speciali providentia Dei, sicut et ipsa beatitudo, et substractio ab incerto tentationum, quæ non nisi per mortem acquiritur: *Beati enim mortui qui in Domino moriuntur.* Et hoc speciale donum vocamus speciale auxilium, saltem extrinsecum, quod consistit in speciali protectione Dei contra tentationes, et impedimenta ad gloriam ne insurgant, vel si insurrexerunt ne vincant.

VIII. Ad ultimam replicam dicitur, quod gratia habet jus ad gloriam quamdiu est in subjecto, non tamen habet jus ut semper sit in subjecto, quin potius in hac vita vertibiliter est in anima, et illud jus est amissibile ex parte liberi arbitrii; unde quod ita tollantur impedimenta, et protegatur quis a Deo, ut non amittatur gratia, specialissimum beneficium est.

IX. Circa secundum punctum, scilicet, quod auxilium requiratur ad perseverantiam, suppono duo certa. Primum est, quod istud donum perseverantiæ debet includere non solum auxilium sufficiens ad perseverandum, sed etiam efficax, quo de facto aliquis perseveret, ut docet Augustinus libro de correptione et gratia, capite XII: « Datur, inquit, sanctis donum quo non nisi perseverantes sint: » et libro de dono perseverantiæ, cap. VI: « De illa, inquit, perseverantia loquimur, qua perseveratur usque in

finem, quæ si data est, perseverandum est usque in finem, si autem non est perseverandum usque in finem, non est data. » In quo autem consistat ista efficacia auxilii, quæstio est communis omni auxilio efficaci, postea tractanda, sufficit advertere in illis verbis Augustini quando dicit esse tale donum quo non nisi perseverantes sint, manifeste distingui a dono sufficientis auxilii, quia hoc datur etiam si perseverantes non sint; de facto ergo illud donum quo non nisi perseverantes sumus, distinguitur ab illo quo etiam stat perseverantes non esse. Secundo est certum, quod donum perseverantiæ de quo loquimur pertinet ad hanc vitam, facit enim hominem perseverantem usque in finem; ergo pertinet ad istam vitam, licet consummatio ejus extrinseca sit ipsa adeptio gloriæ, quæ est in alia vita, sed quia usque ad illam extrinsece durat, dicitur pertinere ad hanc vitam, et in alia tamquam in termino extrinseco consummari, sicut ultimæ partes motus consummantur in termino motus extrinsece.

X. Difficultas ergo est in quo consistat istud auxilium, et quid requiratur, ad istam perseverantiam. Et omissis sententiis dico, hoc auxilium non consistere in aliquo indivisibili, neque eodem modo omnibus dari, sed plura includere, nam primo includit, et requirit providentiam Dei extrinsecam, qua providetur alicui mors quando est in gratia, et non aliter, removenturque omnes tentationes, et impedimenta ad gloriam, quod totum pertinet ad auxilium extrinsecum; et secundo si oporteat operari, et resistere tentationibus insurgentibus, datur auxilium efficax intrinsecum ad resistendum illis et operandum; et tertio si diutius perseverandum est, datur continuatio istorum auxiliorum, et non

permittitur interrompere gratiam, et bona opera. Itaque donum perseverantiæ potest aliquando salvari cum sola protectione extrinseca Dei, ut in illis qui accipiunt remissionem peccatorum, et statim sine aliqua operatione moriuntur, et consequenter sine auxilio operativo, quod est auxilium intrinsece receptum, si tamen aliquando perseveretur operando, talis perseverantia exigit auxilium intra ipsam voluntatem a qua exit operatio, et quanto longiori tempore durat ista perseverantia, debent esse auxilia magis continuata, et frequentiora, et majora propter majores tentationes, et impedimenta. Unde Augustinus libro de dono perseverantiæ capite VIII et IX: « Ut enim non dicam, inquit, quam sit possibile Deo, aversas, et adversas in suam fidem hominum convertere voluntates, et in eorum cordibus operari ut nullis adversitatibus cedant; ut ergo id non dicam, certe poterat Deus præsciens ipsos esse lapsuros atequam fieret, ex hac vita auferre. » Ita Augustinus. Ubi illud primum, scilicet operari in cordibus, pertinet ad auxilium internum, secundum quod est auferre ex hac vita, pertinet ad protectionem externam.

XI. Ex dictis sequuntur duo, ex quibus possunt solvi omnia argumenta. Primum est, perseverantiæ donum non dari omnibus, nec enim omnes prædestinantur, datur tamen omnibus auxilium sufficiens ad perseverandum; tum, quia datur præceptum, seu lex de perseverando, Apocalyp. II: *Esto fidelis usque ad mortem: Matth. XXIV: Qui perseveraverit usque in finem salvus erit;* tum, quia infunditur habitus virtutis perseverantiæ cum reliquis virtutibus, ut dicit D. Thomas hic articulo X ad septimum, quia non denegantur a Deo auxilia communia sufficientia ad operandum bona, et implendum

totam legem: quod autem est sufficiens ad totam legem, est etiam sufficiens ad perseverandum, quia implendo totam legem perseveratur, licet de facto non omnes perseverent, sicut neque de facto totam legem adimplent sine auxilio speciali.

XII. Secundum est, quod etiam Angeli, et homo ad perseverandum in gratia in statu innocentiae indigebant auxilio speciali. Patet ex dictis, quia perseverantia non est sine assecutione gloriæ, neque ista nisi ex prædestinatione, prædestinatio autem etiam in Angelis est specialis providentia: ergo et perseverantia est speciale beneficium. Et hoc sensu venit intelligendus Augustinus libro de correptione et gratia, cap. XII, et Concilium Arausicanum II, canone XIX, ubi dicitur: « Sine Dei adjutorio non potuisse perseverare in ea gratia, et integritate quam acceperant; » loquuntur enim de perseverantia in gratia, seu statu supernaturali. Loquendo autem de integritate, et statu pure naturali non indigebat homo, vel Angelus speciali auxilio ad non peccandum contra præcepta legis naturalis, quia durante illo statu pars inferior non poterat insurgere contra superiorem, et sic neque tentare: superior vero nullam admittebat ignorantiam, vel obscuritatem practicam stante illo statu quoad ea quæ præcise sunt legis naturalis; ergo neque tentationem, quia hæc sine aliqua ignorantia, vel obscuritate partis superioris non invenitur; solum ergo contra præcepta positiva, aut supernaturalia quæ sunt ultra legem naturalem poterant tentari, et ad perseverandum in illis indigebat etiam pro illo statu auxilio speciali, ad observantiam vero naturalis juris sufficiebat auxilium commune.